

Franciscus Ciapponi et Soc.

OFFICINA

ANAGLYPTIS, GEMMIS CONCHISQUE

CAELANDIS

PRAESERTIM IN REDDENDIS FIGURIS

PHOTOGRAPHICE EXPRESSIS

Diligentia in opere.

Temperantia in pretio.

ROMAE, Via Sistina, 129

Gulielmus Gaudenzi

ROMAE

Tor Sanguigna, 2-3 - Via Coronari, 1

cuique suppeditat coronas, numismata, Christi crucifixi effigies, Sanctorum imagines tum insculptas tum omnibus modis impressas, metallis caelata opera ad sacra vel ad reliquias reponendas, pietatis libros, omniaque in Puellarum Mariae usum; pulchrarum artium specimina, musiva, caelatas sculptas gemmas et similia; quorum maximum apparatus possidet.

Gallice atque Hispanice loquitur.

Diversorium magnum, cui a Minerva nomen (Grand Hôtel de la Minerve)

ROMAE, Piazza della Minerva

Diversorium inter optimam Romae, in Urbis centro, recens omnino instauratum et commodis omnibus instructum.

Sacellum pro Sacerdotibus ad sacra litanda

LEOPULDUS SCOTTI, moderator.

SUPELLEX

AD RES DIVINAS

Commentarii Vox Urbis administratio recto tramite suppeditat suppellectilem omnem, qua tum in templis, tum in oratoriis ad res divinas uti solemus.

Mandata ad Vocis Urbis administratorem (Romam, Piazza del Gesù, 48) mittantur, res praecise indicando quas quisque sibi cupit.

Gratuito sumptuum aestimatio fiet.

Apud Comm. VOX URBIS administratorem (Romae, piazza del Gesù, 48) quae sequuntur opera venumdantur, per Commentarii ipsius paginas iam vulgata:

PETRI ANGELINI Lollius sive De proiecta latinitate. — Ven. lib. 1,50.

Fabulae selectae Ioannis La Fontaine latine conversae a FRANCISCO XAVERIO REUSS, C. SS. R. — Ven. lib. 1,25.

Saturio. Comoedia latinis versibus conscripta a IOANNE BAPTISTA FRANCESIA. (In ludis litterarum optima tironibus scenice agendi exercitatio). — Ven. lib. 1.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Semel in mense prodit

Premium annuae subnotationis, ante solvendum, est:

In Italia: Libellarum 6;

ubique extra Italiam: Lib. 9 (Doll. 1,80; Sh. 7; M. 7; Rubl. 4; Coron. 9)

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem

Commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem

ROMAM - Piazza del Gesù, 48 - ROMAM



Subnotatio fieri potest:

IN GALLIA

apud

Librairie Gamber

Paris

Rue Danton.

IN ANGLIA

apud

Burns and Oates

London W.

28, Orchard Street.

IN RUSSIA

Varsaviae Polonorum

apud

Gebethner et Wolf

Rakowskie Przedmiescie, 15.

IN CANADA

apud

Librairie Granger Frères

Montreal

1099, Rue Notre-Dame.

T. et G. Fratrum Parisi



ROMAE in ITALIA
in foro Campi Martii, 6



Vincentius Rigacci
officinae conditor
an. 1789.

PONTIFICIA OFFICINA

CANDELARUM AD SACRA

cui Summi Pontifices PIUS IX, LEO XIII, PIUS X
honores addidere

Candelae ad Sacra in Americas, in infimam Africam, apud Indos, Sinenses, Iaponios
atque in Australiam exportantur.



Novarum earumque latissimarum aedium prospectum damus, quas Fr. Parisi ad Candelas ad Sacra cereasque faculas ad noctem fabricandas recens in Urbe a solo excitarunt, et cuique visitandas praebent per tesseram gratuito apud ipsorum centrale officium, Romae in foro Campi Martii, 6, potentibus distribuendam.

Candelarum « tipus oeconomicus » perfectae exustionis venit lib. (francs) 225 centen. Kgr. — Merx nullo iubentis impedio in omnes orbis portus mittitur, dummodo trecentis saltem cerae Kgr. constet.

Colligationes ab officina Parisi adhibitae eae sunt, quae deserti traiectionem in camelorum dorso (viginti dierum iter) facilime perferant.

Commercium epistolare habetur Italica, Latina, Gallica, Anglica, Theutonica, Hispanica lingua.

Ann. XII.

ROMAE, Kal. Decembribus M DCCCCIX.

Num. XII.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

- De nostra aetatis latinitate.
Ad diligentiores humanistarum notitiam proferendam.
B. Virgo Maria ad Dusam.
Nativitatis Dominicanae repraesentatio in ingenuis artibus.
Ex Hispania: Barcinonenses proximi motus artibus infestissimi.
Ad Franc. Xav. Reuss.
De ratione studiorum Pontificii Instituti bibliici de Urbe.
Ex SS. Congregationibus Romanis sententiae novissimae selectae.
- Diarium Vaticanum. — Coram SSimo admissiones. — Pontificiae electiones. — Varia.
Annales. — Graecorum classiariorum rebellio. — Ibericae res.
Publici per orbem coetus legibus ferendis.
Per orbem.
Aenigmata.
Aegyptii. — Caroli M. Rosinii Comoedia. (Recognovit I. F.).



Sociis et lectoribus Commentarii nostri humanissimis Nataliciorum Domini dies, itemque totius anni M DCCCCX, bonos, faustos, felices ex animo ominamus.

Proposita nostra atque subnotationis prospectum in ipsum annum, qui Vox Urbis nostrae erit tertium supra decimum, in proximo numero edicemus.



DE NOSTRAE AETATIS LATINITATE

Triginta prope anni sunt, quum hanc eandem materiam, quam inscriptio indicat, libello quadam tractavi, edito Goritiae anno M DCCCLXXX. Cuius libelli etsi nonnullas partes hodie quoque retainendas arbitror, tamen, quum totum nunc considero, nescio quam iudicii immaturitatem in eo non gravate agnosco. Nec tamen propterea ad idem argumentum redire animum induxissem, nisi, quae in sexto huius commentarii fasciculo continetur, disputatio « de latine scribendi ratione inclinata » me, meam ut aprire sententiam, invitasset. Agam autem sic, ut ini-

tio de illa disputatione quod sentio breviter expediā, deinde nonnulla de meo subiciam, non nova illa quidem, sed quae ab aliis accepta meo ipse usu comprobata vidi.

Tres in illa disputatione cadentis nunc latinae scriptio afferuntur causae, una, quod nimium opera in grammaticis rebus ponatur, alia, quod desint boni eius disciplinae magistri, tertia, quod plerique lectione delectentur librorum male latine scriptorum.

Ac primum de grammaticis rebus quod tam contemptum loquitur istius disputationis auctor et adolescentes commiseratur, quorum scilicet aures « tintinnu regularum » obtundantur, sane miratus sum. Quasi vero scribendi facultas alio fundamento niti possit quam solida et firma rerum grammaticarum cognitione.

An alumnos non ad scientiam evehī, sed ad hariolationem adduci volumus, ut coniectando et quasi divinando, quid in singulis locis rectum, quid falsum sit, assequantur? Eo vero rem evasuram esse, si grammatica disciplina negligatur, certissimum est. Qualem autem nos disciplinam dicimus? Nempe non eam, qua farrago regularum, si forte, ne intellectuum quidem in memoriam tamquam in saccum infundatur, sed eam, qua singula praecepta clare et distincte, ut recte percipi possint, tradita et sufficiēt exemplorum vi suffulta crebris ultiro citroque conversionibus i. e. ex patro sermone in latinum et vicissim instituendis in sucum et sanguinem abeant. Talem disciplinam, sane laboris et molestiae plenam, qui a tironibus arcere volunt, mirari desinat, si nihil, quod operae pretium sit, efficiant, neve querantur de latinitate nostris diebus inclinata.

Alter erat locus de penuria idoneorum magistrorum. De hoc etsi lubricum est indicium facere ignorantem, quae sint apud exteris scholarum rationes, tamen, si ex eis, quae apud nos et video et per decennia vidi, conjecturam capere licet, nonnulli veri in hac auctoris nostri querela inesse facile concedo. Quippe ipse saeculi genius ita fert, ut veterum linguarum studia in dies magis obsolescant, pauci ea cum ardore amplectantur, plerique satis habeant, si examine publico qualitercunque superato magisterio praeficiantur; quod ubi consecuti sunt, intra angustos scholae limites se continent, cotidiana occupationi tamquam operarii dediti nec efferentes se unquam ad altiora. Et miramur, si ex tam inopi palaestra praeceptratores prodeunt ad rem gerendam parum instructi.

Sequitur, qui tertius positus est in illa disputatione, pravus delectus librorum. De hoc argumento, cui auctor plurimum tribuere videtur, quia aliquid ambiguitatis habet, difficilis est sententiam dicere. Non quaero, quos libros, sed quales lectores ille scriptor in mente habeat, eosne, qui poliendae orationis latinae studiosi sint? At horum quis tam ineptus erit, ut inventis frugibus glande vescatur h.e. in tam ingenti bonorum librorum copia libros preferat barbare et inquinate scriptos? An eos, quibus perinde est, utrum bene an male scribere discant? At hos a nostro sermone exclusos volumus, ut, quorum rationem habeamus, indignos; ut si quis eum aegrotum curare laboret, qui ipse sua interesse neget, convalescat necne. Eis potius prospiciendum est, qui, dum probae latinitati operam navant, adiutore aut monitore indigeant, ne a recta via aberrent. Item amovendum ab hac disputatione est genus eorum lectorum, qui non elocutionem, sed res, quae in libris insunt, consectetur; velut historici fontes rerum gestarum quavis lingua conscriptos adire coguntur, de dictione nihil solliciti, in res solas intenti.

Quae quam ita sint, non intelligo, quid momenti illud tertio loco positum argumentum ad eam rem, de qua quaeritur, habeat.



Missa iam illa disputatione, quam hucusque respximus, nonnulla addere volo, non a me inventa, ut dixi, sed nec aliena a proposito nec fortasse inutilia eis, qui latine scribendo operam daturi sunt.

Ac duo videntur in discenda latinitate tamquam curricula disiungenda esse, unum, quod in mediis, quas vocant, scholis seu gymnasii vel lyceis conficitur, alterum, quod postea in Academiis aut privatum latinae linguae destinatum est. Et in priore illo studio principem locum tenet grammatica, cuius quae nobis iusta tractatio esse videatur, supra paucis delineavimus. Grammaticam autem disciplinam excipit

in tempore lectio veterum scriptorum, quorum ordo in scholis velut praescriptione sancitus est. Quae lectio etsi non fere ad perfectam, attamen ad mediocrem et quae in praesentia sufficiat intelligentiam perduci poterit. In scriptione vero satis habendum erit, si evitatis gravioribus mendis vel soloecismis aliqua tenuia latini coloris vestigia compareant.

Alia est ratio eorum studiorum, quae in alterum temporis spatium reservavimus. Tum enim profligatis iam principiorum difficultatibus et mentis acie robora veterum scriptorum lectio, quantum potest, perpetua non in res solum, quae in libris continentur, sed in consuetudinem latinae dictionis acriter intenta et ad observationes faciendas sollers esse debet, ex quibus demum observationibus scribendi conatus sensim felicius cedent et incrementa capient. Legendos autem, quum alios scriptores antiquos nequaquam spretos velim, tamen praeter ceteros puto eos Ciceronis libros, qui de philosophia sunt et de arte oratoria, in quibus medium illud dicendi genus, ab antiquis rhetoribus maxime celebratum, enucleatissime repraesentatur. Nam hoc medio genere, quod ad commentandum accommodatissimum est, imprimis opus erit latine scribentibus, nisi si quis forte, id quod rarius usu veniet, publicam orationem habiturus ex ipsis Ciceronis orationibus exempla petere maler. Ceterum in commendando Cicerone longe absum ab eo, ut caecam eius imitationem probem, id quod nesci quidem hominis, sed simili esse arbitror.

Nam unum aliquem scriptorem sibi imitandum proponere non modo probabili successu destituitur, sed aequi ridiculum est ac si quis ea tantum probe germanice dicta esse iudicet, quae Goethius aut Lessingius scripsere. Immo alii quoque scriptores multa habent bona vocabula et locutiones, quae apud Ciceronem desiderantur, quibus autem in scribendo carere non possumus, mancam aliqui et exilem orationem nostram reddituri. Talia sine ulla dubitatione undecunque asciscenda sunt omninoque curandum, ut scripta nostra *generalem* Romanae indolis speciem prae se ferant simulque proprium scribentis ingenium impressum habeant, nisi affectatam et putidam et lectori intolerandam orationem efficere volumus. Quin ne recentiores quidem latinos, qui quidem eleganter scripserint, aspernando puto, quorum certe Muretus omnium nominibus ita offecit, ut proxime ad antiquorum laudem accesserit. Eiusmodi scriptores vel propterea adhibendi sunt, quo facilius via et ratio imitationis intelligatur.

Est autem, quo expeditius lectio procedat, valde optandum, ut lectores mature desuescant latina verba in patrium sermonem convertere, quod triste ac miserum adiumentum eis potius relinquendum est, qui nondum satis sint in legendo exercitati. Ipsa latina verba acri attentione considerata mentem scrip-

toris aperiunt. Sin qua occurrat sententia implicatior, quam ut primo obtutu perspici possit, iteretur lectio, aut, si ne tum quidem tenebrae disiectae sint, constructio verborum grammatica adhibeat, qua nisi ad normam periodus enodari poterit, locus pro mendoso habendus erit. Cuius etsi rarissime contingat certa sanatio, attamen ex contextu eorum, quae vel praecedunt vel subsequuntur, plerisque haud improbabiliter erui poterit, quae sententia scriptori obversata esse videatur. Qua aliquatenus inventa sine mora et ambagibus in lectione pergendum est.

Ceterum si ad interiore latinitatis scientiam adspiramus, non obliuiscendum est cum latinae linguae studio graecae studium esse coniungendum, sine quo latinae linguae cognitio manca ac debilis erit, similius ut si quis navem cum socio communem dividere velit; quo discidio nimirum uteque perierit.



Venio nunc ad ipsum scriptionis negotium, in quo ante omnia tenendum est non esse iam in loco illas ex vernaculo in latinum translationes, quae hoc quidem in stadio, quia sic duabus linguis cogitare necesse est, plus obesse quam prodesse possunt, sed libera scriptio ita utendum esse, ut quis semel saltem in hebdomade de uno aliquo argomento, quod pro suo sibi arbitrio delegerit, postquam id apud se accurata meditatione perpendatur, suos sensus latina oratione includat. Quae opera, cui bonorum scriptorum lectio comitari debet, — nam discendi nullus finis est — si per aliquod tempus continuata erit, nisi quis plane indeole destitutus sit, scribendi facultas in dies magis augescet et fructus feret laetiores. Nam frustra sunt, qui putant meritis translatiibus ad liberam scriptiōnem perveniri posse. Sunt enim istae duae diversae actiones, quarum utraque suam sibi et propriam exercitationem poscit. Hoc ita esse sibi persuadebit, qui ipse rei periculum fecerit.

Non praetereunda hic est illa quaestio, quidnam de utilitate illorum libellorum, quos « de stilo latino » et « Antibarbaros » inscribunt, censendum videatur. Mea quidem de istis praesidiis, quorum affatim exstant, haec est sententia: quae in illis libris continentur praecpta, ea esse plerumque in angustius redacta, ita ut non raris exceptionibus refellantur; nonnullas quidem id genus observationes non esse omnino reiciendas, quia sine dubio commodius est iam factis observationibus superstruere novas, quam ipsum de integro observandi labore suspicere et inchoare, modo ne quis opinetur se ex eiusmodi adminiculis scribendi facultatem adipisci posse, cuius praecipuus fons in assidua veterum scriptorum lectio positus est. Hoc quidem certissimum est, inter recentiores latinos eos, qui optime scripserunt, talium libellorum nec volam nec vestigium vidiisse.



Hic locus me admonet, ut, quae vitia in eis, qui latine scribere incipiunt, maxime conspicua sint, breviter explicem. Multi non videntur intellexisse, quae primaria ac principalis sit latinae dictionis virtus, claritas nimirum et perspicuitas et iustus sententiarum ordo. Itaque saepe obscuritas quaedam et confusio talis obvia est, ut, quid sibi velit scriptor, Oediode aliquo opus sit coniectore. Cuius obscuritatis causa est non sufficiens verborum copia et inde nascens inscita proprietatis verborum locutionumque, quem tamen iam antiqui rhetores delectum verborum originem eloquentiae nominaverint. At quo modo delectum habere potest, quem desit diligendi materia? Hinc fit, ut in locum propriorum i. e. rei, quam quis verbis illustrare velit, maxime convenientium vocabulorum voces et phrases ieunias et frigidas adeoque insulsas circumlocutiones substitui videamus, quae cum scribentis inopiam et infantiam prodant, non possunt non statim ab se reicere lectorem.

Cognata huic, de qua dixi, inopiae est quaedam scribentium anxietas, qui, dum veram inter patrium et latinum sermonem differentiam multo maiorem sibi fingunt eamque ad quandam vastae voragini similitudinem extendunt, quidquid in ambabus linguis syntactice congruit, in eo illico nescio quam culinarium latinitatem odorari sibi videntur. Hi monendi sunt extare revera latinitatem aliam merito suspectam, aliam falso suspectam, quarum confinia accurata lectio et diligens observatio constitueat; suspiciosos autem eos potissimum esse, qui in antiquis scriptoribus parum versati sint. Quos si diligenter triverint, intelligent longe plura in latino et patrio sermone — loquor autem de teutonica lingua, non arrogans mihi de aliis linguis iudicium — similia quam in vicem diversa esse.

Aliud contrarium quodammodo illi inopiae vitium cernitur in quibusdam, qui, dum cetera eorum dictio satis fatua et hilica est, in uno altero loco, ubi nec oporteat nec deceat, quandam congeriem rarerum verborum, quae fortasse paulo ante ipsam scriptiōnem alicunde corraserint, tamquam dedita opera artificiosae constipant, ne a reconditis quidem et abstrusis vocabulis et formulis abstinentes, quo scilicet exquisitam verborum copiam et scribendi elegantiam ostentent. At hi quantum absunt ab illa, quae in hoc genere expetenda est, naturali simplicitate et aequalitate orationis!

Iam ordinem sententiarum ut verbo tangam, in eo ita peccari solet, ut sententiae aut perplexe et praepostere, non secundum rerum naturam collcentur aut abrupte alia iuxta aliam nullo inter ipsas nexus et sine transitionum formulis ponantur, quam

rationem latina oratio respuit, nisi si ob quasdam rhetoricas rationes asyndeton legitimum est.

Eripiendus denique multorum error videtur isque inveteratus, quod in singulis tantum verbis peccari posse putant. At non est ita. Potest enim aliquid scriptum ita comparatum esse, ut singula quaeque religiose ad grammaticae leges exacta sint et tamen totum scriptum nauseam moveat. Quid porro facilius est quam vel in optimis ex recentioribus latinis aliquod vocabulum ut minus probum notare et transverso stilo corrigere? Sed si eiusmodi pusillanimem censorem iubeas ipsum aliquid scribere, vix tres quatuor lineas ita implebit, ut eae aliquid latinitatis redoleant. Latet enim eum non tam in singulis verbis quam in tota sententiarum complexione tesseram quasi et signum latinae indolis conspici.



Nunc, ut aliquando ad finem vergat haec disputatio, strictim commemorare volo illam quaestionem, ad quos usque fines hodiernus latinitatis usus pertinere vel possit vel debeat. Ac per se planum est latinam linguam, inopia quadam laborantem, facilime adaptari ad earum rerum tractationem, quae antiquitatem plus minus attingant, minus autem sufficere ad recentiorum rationum usum; ut, si quis idem vestimentum, quo puer usus sit, vir factus induere velit, magnam corporis partem intactam habeat. Verum tamen vires in latina lingua delitescentes aliquantum intendi possunt, ita ut ea propria doctorum hominum lingua exsistere queat, id quod duabus de causis optabile fuerit, una, ne, quae inter sese docti disceptant, cum imperita multitudine communicata animos conturbent falsisque opinionibus captos ad legum humanarum divinarumque contemptum adducant, altera, ut, si quod aliquanti momenti opus prodierit dignum, quod cum universo orbe litterario communicetur, compendium fiat in diversas linguas conversionum, quae cum sumptuosae tum ne aliis quidem molestiis vacuae sint. Sed vix sperare licet illum honorem, quo pridem gloriata est, linguae latinae restitutum iri, artibus ac disciplinis magnos in dies progressus facientibus, quorum vestigia latina lingua pari passu aegre legere possit.

At aliud a quibusdam hac nostra aetate agitatur consilium communis alicuius cultiorum nationum linguae constituenda. Et hercule, quot eiusmodi fabricandarum linguarum experimenta audivimus, quae tamen omnia, idque merito, ad irritum ceciderunt, quippe profecta ab illa falsissima opinione, linguas artificio quodam et longa meditatione excutiendoque cerebro ab hominibus inventas esse, quam tamen pro explorato sit linguas ab rudibus orsas initii solo rationis lumine, sua sponte, naturali quodam instinctu,

insciis hominibus, innumerabili annorum serie paulatim succrevisse et, ut humana omnia, perpetuas mutationes, quamquam non statim sensibiles, subire. Longe, ut opinor, istis conatibus, quos notavi, praestaret nec contra naturam esset, si latina lingua, qualis tradita est, pro fundamento sumpta, ubi copia deficeret, suppleretur et locupletaretur ex thesauris Romanensium linguarum, imprimis Italicae, ita videlet, ut recens recepta ad quandam antiquae linguae analogiam latina veste adornarentur. In quo etiam ad illud Horatianum provocari posset:

*Licit semperque licebit
Signatum praesente nota producere nomen.*

Cuius somnii an quis unquam eventus futurus sit, posteri nostri viderint.



Cum ea quaestione, quam modo attigi, coniuncta est illa, sitne latina lingua ad quotidianum usum et colloquium traducenda; quod si quis effectum dare vellet, sine dubio non solum Ciceronis epistolae, sed imprimis Terentii comoediae in auxilium advocandae essent. Sed huius quaestioni solutio, si latina lingua communis nationum fieret, quemadmodum supra significavimus, re ipsa data esset. At, ut nunc res est, sic existimo: Quoniam quidem inde a renatis litteris paucissimis hominibus contigit, ut illam mettam, utique optabilem, sed admodum arduam, attingerent, atque eorum ipsorum, qui scriptio pollerent, fuerunt, qui tales conatum dissuaderent, ab isto experientio abstinentem videtur, quia non vanus metus est, ne latina lingua promiscuo usu indecorum interpolata et contaminata in barbariem degeneret. Quapropter satius fuerit pro hoc rerum statu in sola scriptione eaque, quantum potest, emendata consistere.

Exposui fere, quae de arguento, quod tractandum suscepseram, mihi dicenda videbantur. Tantum vero abest, ut haec omnia confidenter dicta velim, ut ingenui fatear posse de tota hac quaestione ab aliis aliter et fortasse rectius, quam a me factum est, iudicari, magnamque sim ei gratiam habiturus, qui me meliora edocuerit.

*Si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti, si non, his utere mecum.*

Goritiae.

A. B.

Consuoverunt dī immortales, quo gravius homines ex rerum commutatione doleant, quos pro sceleribus eorum ulisci volunt, his secundiores interdum res et diurniorem impunitatem concedere.

CAES., *De bell. gall.*, I, 14.

Ad diligentiores humanistarum notitiam proferendam

Hodierna die, quum tot studiis curisque homines distenti hue illuc pervagentur, ac rapide sciendi desiderio permoti, primoribus tantum labris doctrinam attingant, vix paucos reperias qui, dedita opera, illorum scripta pervolant, quos florem velut italicico solo dehiscentem, litterae renatae pepererunt. Atqui quantum inest in eis dulcedinis et leporis! quanta voluptate legentem afficiunt! Plerique enim, et ii quidem litterarum haud indocti, paeclaros tantum nomine scriptores noscunt; a quibus si vero quaeras quid scripserit hic, quid ille, qua elegantia scribendi alter praestiterit, quo dicendi genere, quave sententiarum concinnitate effulserit alter, se hoc ignorare confiteantur necesse est. Neque oportet dicere nostrum esse eorum paginas frequenter pervolutare, quippe quae aetate haud longe a nostra distanti pluribus Italiae in urbibus editae fuerint et, propterea quod apud nos floruerint, immortalis sint patriae gloria, litterarumque illius aevi splendoris decorisquam signum luculentissimum.

Mihi vero huiusmodi oblivionem, ne dicam iniuriam, saepenumero consideranti causasque inquirent, haec praecipua occurrit, quod opinio quam de « humanistis » eorumque opere habemus, longe a veritate abhorreat. Quid enim de iis sentimus? vel potius quid de iis cogitare didicimus? « Humanist » ob nimiam suam eruditionem exquisitamque doctrinam, *classico*, qui dicitur, de fonte derivatam, nimis inflatum esse, insolenter de se ipso sentire, intemperanti et quasi effrena cupiditate gloriae ferri, mira ad litigandum alacritate, mobilem, modo hunc, modo illum paeconio laudum, mercede accepta, celebrantem, servilem in modum in aula principum vel pontificis curia commorantem... Neque ego infinitas eo aliquid veri in his iudiciis inesse — constat enim, ut unum dicam, quam acerbe graviterque in se ipsos eruditum homines invehementur, nulla verborum continentia, nulla dignitatis, nulla doctrinæ ratione observantiaque habita — ; at merita quoque eorum in patriam, in artes, in humanitatis studia, increpatiibus comprimere, immo potius sepelire et condere, haud recte diiudicandi ratio mihi videtur.

Quod autem ad artem eorum pertinet, nescio cur adhuc nonnulli, haud prudenti sane consilio in aliis rebus destituti, id affirmare omnibus nervis studeant, sese eos imitando consumere, benignam ingenii venam siccari, nihil novi promere, quod non esset ab optimis latinitatis auctoribus ad verbum expressum. Quod quantum falsum plenumque erroris sit, nemo est quin videat. Nam qui haec diligenter expendere

ac certo iudicio ponderare prae se ferunt, facile obliviscuntur nonnullos fuisse « humanistas », qui omni ope atque studio alienam rem in suam convertere conati essent et, materiam alieno de fonte haustam retractantes, in animi cibum quasi transferre ac novo quodam colore ornatique inficere assuevissent. Quis autem neget « homericum illum puerum », ingenii sane prodigium, quippe quod nondum sexto decimo aetatis sua anno exacto, in graecis latinisque epigrammati optime exerceretur, satis superque antiques ipsorum scriptores vestigiis persecutum esse? At si hoc minime potest in dubium revocari, illud affirmare oportet plane suum in disputando Politianum fuisse.

Solent quoque huius generis existimatores « humanistas » eorumque opera graviter insectari, quod italici sermonis progressum et incrementa retardaverint, ab illo altitudinis fastigio diducentes quod iam superiore saeculo consecutus esset ac patriae languentes condiciones, litteris unice intenti, despicerint! Quae quam iniustae sint increpationes, res ipsa per se luculenter evincit!

Fuit qui eo proterviae pervenerit, ut opus italice hoc animo scripserit ut litterarum bona latinique sermonis damna (scil. saec. XV et XVI) demonstret... Stultum! quod eius propositam rem, nullo veritatis fulcimine sustentam, facile in risum verterit clarissimus ille auctor Carduccius, cuius immaturum interitum universi flevimus, et omnino diruerit!

Vellem huius vim et incitationem adhibere, eumdem calorem in mea verba transferre, eadem gravitate et nervis orationem meam confirmare! Fuitne patriae immemor, in turbidis rebus, eruditus vir saeculi XVI? numquamne in suis scriptis Italiae nomen, vel Ausoniae, servitute oppressae ac maximis turbribus et fluctibus agitatae, recurrit? Minime vero, si illa potissima latinitatis opera, quae bene possunt cum antiquis certare, modo percurramus.

Meum vero non est hic mores et ingenia « humanistarum » oculis subicere; placet contra proponere quae nam sit illorum carminum dulcedo ac suavitatis, quibus veneribus distincta et ornata effulgeant, quam denique digna sint quae etiamnunc nostris in scholis una cum veteribus in manibus habeantur. Nam hoc ego affirmo et contendō: bene ea posse discipulis nostris gravitatis, munditiae elegantiaeque dicendi specimen proponi. Quod si attente consideremus more apium illos homines humanitate politos hue illuc optimum quidquid decerpere et in unum congregare, eorumque autem ab investigationibus historiam initium ducere et litterarum antiquarum studio proficisci, iam in aperto est quid quaestus inde facere possimus, iudicium poliendo mentemque firma institutione corroborando.

Quid enim dulcius elegantiusque Politiani carminibus, in quibus latinitatis florem splendessore, in quae puriorem venam influere, quae novam afflare vitam dicas? Quid concinnius venustiusque elegis *In Albieram Albitiam, In violas*, quos latinus sermo, marginata tamquam tabula, mirum in modum exornat et e quibus elegantissimis numeris poëticis sensuum molitudo intexta perlucet?

Pauca vero exstant Balthassaris Castilionis carmina, inter quae haud dubie praestat aliis quod poëta simulat iocose coniugem Hippolytam sibi Romae commoranti misisse. Inest enim quedam animi vis, mira mulieris curarum descriptio, splendidis, prope dixerim, coloribus illuminata; atqui quam pauci reperiuntur qui illud noverint carmen? quin immo quotquisque studiosorum est qui «aulici» (*il Corte-giano*) auctorem cum latinis quoque Musis commercium habuisse sciant?

Quid dicam autem da M. A. Flaminio, litteratissimo ac virtutibus ornato viro utriusque linguae doctissimo, qui «tener, splendidus, canorus» fuit, ut Iovii (*Dial. de vir. ill.*) verbis utar, quique inde ab adulescentia, nullo impellente, sed suapte natura, ingenii ac styli exercendi gratia elegantissima carmina scripsit? Quanta felicitas ingenii et varietas poëmatis in eius octo libris, qui undique deliciis affluent, verae ac propriae litterarum gemmae dici possunt!

Iuvat hic Io. Baptiste Gyraldi sententiam afferre, ex qua manifesto appareat, ut etiam ex aliis illustrium oratorum testimoniosis, quam sublime se Flaminius sustulerit quamque praeclaro reipublicae litterariae decori et ornamento fuerit: «Quod ad Odas Fl. attinet,... nihil esse potest, ut opinor, suavius; quod in primis ii iudicent qui sapiunt latine. Catulli enim, ut mihi videtur, non tam imitator, quam aemulus prope dici meruit. Ingenii nitor et venustas, stylus candidus, numeri Catullianis minus horriduli, et cum suavitate utique mira facilitas, sunt praecipuae eius virtutes».

Possum alios poëtas enumerare, alia carmina egregie facta recensere, ut suavia illa Pontani, in quibus Parthenopes tunc temporis mores consuetudinesque mire exprimuntur, Sannazzarii, Bembi, Calagnini, Lampridii, iuvenis illius Cottae qui vivens meruit Catullus suae aetatis appellari... etc.; at me finis dicendi urget. Neque ego de egregiis illis robustisque paginis, soluta oratione exaratis, locutus sum: hoc enim fasius ac seorsum tractari meret.

Ut ea que supra dixi colligam, haud iniuria censeo splendidiora renatarum litterarum monumenta, quae penes nos fere sunt in obliuione, magno quadam emolumento legi posse. Fortasse obiecerit quispiam nonnulla in iis esse lubrica et lasciva quae nimis verecundiam laedant et sensus quasi voluptate

titillent animorumque motus libidinose inflammat. Quod facile dilui ac refelli potest, praesertim si id spectetur litteratorum ordini cuidam minime obiurgari posse quod ratio tempestatum tulerit. Ceterum, hao in re casta carmina seligi prudentia iubet; nam non modo ii viri amatoriai poësim, sed etiam omne melicum genus summa cum laude tractarunt.

Quod si huiusmodi nonnulla discipulis ediscenda porrexerimus, certe suae mentis fines proferent, admirabili quodam pulchritudinis amore incendentur, perpolientur elegantia, ingenium acuent, nova noscent instituta, novumque fere orbem explorabunt...

Tum denique de «humanistis» opinio falsa haberit desinetur, iisque iam non vacui dicentur, inflati, grandesque tantum verbis, non plane in rebus tractandis sui, nullum adiumentum ad animum doctrina excollendum afferre; sed ab obliuione vindicati diligenterque expensi tota luce gloriae enitescent novamque viam cogitationi per salebras doctrinae gradienti, indicabunt.

Cavae Tyrrh., Kal. Nov. MCMIX.

MARCUS GALDI.

B. Virgo Maria ad Dusam

Qua parte Alsatia superior ad inferiorem vergens feliciori gaudet agro frugifero et laetiores exhibit colles vitiferos, surgit oppidum satis conspicuum, cui nomen *Rappoltsweiler*. Eadem imminent arduus mons ad Vosagi iuga pertinens, densis opertus nemoribus et tribus distinctus arcibus nunc semirutis, e quibus olim dynastae a Rappoltstein oppido ac viciniae dominabantur. Vallem, sub monte positam, limpidus irrigat rivulus, cui nomen Dusenbach, a voce prisca *Dusen*, quae germanice ab undarum murmure deducitur.

Sub finem saeculi XII, unus e memoratis dynastis, Egenulphus nomine, filius Udalrici, collecta pugnatorum manu, exercitui se adiunxit militum cruce signatorum, qui Saracenos in Palaestina debellatur, urbem Constantinopolim ceperunt, in eaque imperium constituerunt latinum. Rediens ex sacra expeditione Egenulphus, effigiem perdonantis Virginis Deiparae, quam alii volunt Constantinopoli, alii vero Hierosolymis cultui habitam, tanquam trophyae in avitam reportavit arcem. Cui quidem Imagini super rupe, ad cuius radicem Dusa praeterfluit, anno MCCCIV sacellum extruxit, quod, elapsis paucis decenniis, nimis fuit angustum, quam ut piorum caperet turbas. Quare anno MCCLX alterum aedificatum est sacellum, a S. Sepulchro dictum, et sub finem eiusdem saeculi, additum est tertium, loco paulo inferiori situm.

Crevit interea pietas oppidanorum erga caelestem suam Patronam, ad quam ex tota Alsatia et finiti-mis etiam regionibus assidui cultores affuebant. Nec tamen Virginis aedibus calamitosa quoque tempora defuerunt. Anno MCCLX, sacra aedificia a militibus Anglis direpta fuerunt et devastata. Quae a posteris Egenulphi restaurata, iterum, quo tempore fureret bellum triginta annorum, ab exercitu Suecico in acerum ruinarum misere fuerunt redacta, anno MDXXXIII. Post vicennium tamen, constituta pace Westphalica, pia mulier, Maria nomine, sanctuarii sacella denuo excitavit, quibus, praeterlabente saeculo MDCC, templum spatiiosius accessit. Sed eheu! nova instabat et perniciosior tempestas, quae antiquum sanctuarium funditus delevit. Namque anno MDCCXCIV, saeviente in Gallia immanni illa rerum perturbatione, quae tot rui-nas accumulavit, eversa sunt flammisque tradita ve-neranda haec pietatis Alsatinæ monumenta. Servari tamen potuit prodigiosa Virginis imago, quae, redeunte caelo sereniore, in ecclesiam parochialem op-pidi Rappoltsweiler delata fuit.

Solidum decurrerat saeculum a postrema sanctuarium eversione, quum episcopus Argentinensis, Adolphus Fritzen, pro sua in Virginem perdonentem pie-tate, diruta aedificia redimi iussit novumque tem-plum excitari. Memoratu dignissimum fuit, anno MCMVI, dies x Iunii, quo die, post celebratam a praesule Missam pontificalem, ex ecclesia parochiali in novum sanctuarium ad Dusam, eleganter erectum, venerabilis imago translata fuit, inter triumphalis pompa solemnitatem, quam triginta millia fidelium, clerus frequentissimus pluresque sanctorum antistites sua praesentia honestarunt. Arduam semitam, qua ad sanctuarium Virgineum acceditur, ex eo die ascen-dere non cessant piae peregrinantur turbae; quas etiam potenter alliciunt stationes Viae Crucis quae, affabre desculta, callis umbrosi oram exornant.

Haec ad carmen, quod sequitur, magis intelligendum dicta sunt.

*Dusa per vallem Vosagi susurro
defluit leni; latus hinc et inde
montis assurgit, nemorumque gratas
explicat umbras.*

*Urbium stridor silet hic; volucrum
unus auditur canor, arborumque
murmur, in summis simul aura coepit
ludere ramis.*

*O piis aptum studiis recessum!
Golgothae scenas ubi confueri,
et Viam divo madidam cruore
carpere fas esti.*

*Virginis Matris vetus en Imago
se tibi sisit: lacrimosa plagas
aspicit Nati genitrix; peremptum
excipit ulnis.*

*Excipit, clamans: «Graviora num quis
perfudit? flucfu meus est marino
salsior fletus; tua plange tecum
crimina, tellus».*

*Icōnem sacram coluere quandam
Bosphori cives; Egenulphus hosti
eripit visam, patriasque defert
laetus ad oras.*

*Namque dum fortis Saracena castra
miles expugnat, reliquis omissis,
hanc sibi praedam legit, Alsatinæ
gaudia gentis.*

*O piam Dusae Dominam! quot actas
tu per aetates lacrimas dolentum
blanda tersisti! quot et usque nostro
tergis in aeo!*

*Sontibus nobis veniam, salutem
imperias aegris, miserum nec ullum
despicis; per te, seges ornat agros,
uvaque colles.*

*Munerum longam seriem tuorum,
septies ex quo rediere saecula,
vota testantur, tua queis Imago
cincta renidet.*

*Perge devotam tibi civitatem,
perge, quos Rhenus Vosagusque mittit,
incolas donis cumulare, damno
plectere nullo.*

*Quam Fidem sevit pater Arbogastus,
Alsatis serva sine labore puram;
te colant seri, memores avorum,
Alma, nepotes.*


FRANC. XAV. REUSS.

NATIVITATIS DOMINICAE REPRÆSENTATIO

IN INGENUIS ARTIBUS


Augusti illius mysterii, quod in Bethlehemito specu perfectum est, spectatio tam viva atque potens in populorum animo perstittit, ut praeclari qui-que ingenuarum artium cultores non quidem negle-xerint, imo ad amplissimas formas reddendas, quas mente conceptam haberent, eam adhibuerint.

Ecquid mirum? Nonne quotannis, in limpidis gelidisque mensis Decembribus noctibus, quum gracilis avenae concentus, per albas illas atque desertas vias resonans, voces ingeminat quandam a nobis pergrate auditas, et in musices unda, paullatim longe interimentis, nobis innumera desideria sine obiectu innumeraque spes sine nomine coruscare videntur; nonne, inquam, cogitatio nostra visus quaerit humanitatis ac virtutis, et in notis iis suavis moestitiae plenis, quae



Iotti tabula in Patavino Arenae templo asservata
Dominicam Nativitatem exhibens.
(Photographice expresserunt FR. ALINARI, Florentiae).

in aere vibrantes Dominicæ Nativitatis festum revocant, humilem invenit ac permeantem, ut ita dicam, evangelicae doctrinae suavitatem, licet saeculorum vices passim a recto suo itinere detraxerint? Atqui in ipso hoc, incognito interdum novoque animi motu, videtur spiritus ille effluere, unde artificum mens toties est inflata.



Profecto Dominicæ Nativitatis represeñationes primæ a Lucae atque Matthæi evangelii manarunt. Quamquam tantum saeculo IV p. C. n. nova religio ab Oriente profecta, ac tremebunda nimis ut Dei sui imaginem quadammodo referret, evangelicam narrationem sarcophagorum marmore et muralibus catacumarum picturis exprimere coepit. Tum enim in coemeterio basilicam S. Sebastiani in Appia via circumstante, puerulum Iesum primum videmus in ligneo scanno distensum inter bovem et asinum eo quidem ritu, ut nobis pictor apparet illa prophetæ verba in mente habuisse: «Cognovit bos possessorem suum et asinus praesepi Domini sui: Israel autem me non cognovit et populus meus non intellexit» (1).

Exinde duo illa animalia addita sunt in praesepi Dominici represeñatione una cum

(1) LSAI, I, 3.



Angelici Faesulanî tabula de Christi praesepio.
(Photographice expresserunt FR. ALINARI, Florentiae).

aliorum sacrae bibliae vaticiniorum memoria, quae nova afflatus elementa artificibus praebent. Ingenuæ enim artes narratiunculas populi, ex quo ortae erant, vulgantes, potius quam symbolis ab Ecclesiae Patribus coniectis, communis fidelium sensu excitabantur et vitae substantia, quam simplicem demissamque esse cupiebant. Inde et pastorum adiectio, et gnosticae doctrinae et evangeliorum apocryphorum influxus, quae eventum velo quovis mystico exuere conata sunt; classicorum denique memoriae symbolorum significationem passim mutarunt, et habitum figurarum, et ipsam rerum formam ita, ut Divinus Infans interdum strepientum victoriarum circumfusus exhiberetur, arcanaque Magorum dona in fructuum canistros facile converterentur.



Casam in qua Christus natus est varie ab artificibus adumbratam invenimus. Iottus cunabula effinxit sub tabernaculo palis suffulto, flammantum cherubim quasi corona redimito; eiusque exemplum sunt plerique sequuti. Quum autem veritatis studium pervasit, caelestis evenitus peculiaribus notis effictus est summo quodam rigore formæ, atque interdum etiam contumaci arbitrio.

Ratio vero communior divinum infantulum praebuit in praesepi recubantem — plus minusve panis involutum — cum Iosephi et Mariae figuris adorantibus, quibus nonnunquam, iuxta evangelium

pseudi-Matthæi, Zelomis ac Salome figuræ additæ sunt, illarum scilicet mulierum, quae de Mariæ virginitate dubitantes brachium arefactum pertulerunt. Cum hac scena suavissimum esse atque excellētissimum superni amoris afflatum ecquis negabit? Quin imo tanta efficacia apparet, ut Asisii in ipsa

nati angeli susurrant, quorum unus Filii Dei nativitatem aperte pastoribus nunciat admiratione percussis.

In hac scena suavissimum esse atque excellētissimum superni amoris afflatum ecquis negabit? Quin imo tanta efficacia apparet, ut Asisii in ipsa



Christi nati represeñatio a Dominico de' Bigordi (vulgo «il Ghirlandaio») effecta.
(Photographice expresserunt FR. ALINARI, Florentiae).

ceptae represeñatio coniungitur, in Maria præsertim eiusque ineffabili maternitatis sensu. Ut de Nicolao Pisano non dicam, qui si in Pisani baptisterii suggestu Deiparam Iunonico eoque regali habitu corporis effinxit; in suggestu contra Senensi, tenero atque amantissimo matris gestu natum suum intuentis eam insculpsit, vide, sis, Iotti tabulam in Patavino Arenae templo asservatam. Virgo super culcita attollitur ut infantem piissima, prope dicam, trepidatione complectatur; circa tectum, humile stratum tegens, pin-

urbe frustra requisiveris, ubi pictor eandem latius reproduxit at certe ab intimo illo sensu alienam.

Gentilis Fabrianensis sidereum noctem retulit, puerumque Iesum in terra posuit lumina radiantem in circumstantes imagines, inter quas Zelomis præfatae et Salome, Iosephi dormientis, asinique et bovis genibus flexis. Procedas, et in Angelicum Faesulanum offendes, Iosephum ipsum effingens scenæ participem, sese puerulo supplicem cum uxore abiiciens in tugurio, nitore effulgente.

Quod sequitur saeculum in vitae sua repreäsentationem ipsos historiae sacrae eventus transducit: praesepe, piás mulieres, Salomis incredulitatem et piaculum frusta requisiveris; casa ipsa forma mutatur, locumque cedit magnificis chalcidicis, splendidis ruribus, hortis florentibus, apertis latisque campis. Franciscus di Giorgio, pone Virginem et Iosephum et angelos, sanctos Bernardinum et Ambrosium orantes introducit; eiusque ars viam aperit sacrī illis conversationibus — ita enim appellarunt — in quibus fideles ipseque tabulae mandator circum familiam sacram genibus pie provolvuntur. Ita novus, qui vulgo dicitur, humanitatis ortus recessim a medio aevo procedebat, novaque desideria novos inducebant usus novasque necessitates, quibus non modo traditio, verum etiam ipsa evangelii narratio simplex, dulcisona, animum suavitate permulcens obscuratur ac prope extinguitur...

FORFEX.

Ex Hispania

Barcinonenses proximi motus artibus infestissimi

Cogitanti mihi saepenumero de saevissimis incendiis et vastationibus in quibusdam Hispaniae urbibus, Iulio decadente, exactis, ita solent et tempa violata et Sanctorum Virginisque Mariae comminuta simulacra in mentem venire in meoque animo sese defigere, ut non possim quin ad aras me coniiciam, ibique, manibus ad Christum Servatorem sublati, eumdem, quantum possum quantumque valeo, de illatis iniuriis consoler.

Evidem hanc nactus occasionem, eidem Domino Iesu in Eucharistia tantis tamque crebris iniuriis vulnerato, solatum afferre vellem; quum autem in praeclaris ephemeredibus, quibus haec exarabam, de rebus ad artes ingenuas potissimum ad litterasque pertinentibus fiat sermo, dicam pro viribus quam gravem Barcinone, (ibi enim praecipua vis agitationis fuit), artes liberales acceperint plagam.

Et primum quidem, ut unde sunt perditū homines vastationem exorsi, inde initium habeat oratio, de Collegio sub S. Antonii tutela posito dicam. In via cui nomen *Ronda de S. Antonio*, per amplam incolebant domum Scholarum Piarum sodales, in qua duo adulescentulorum millia primam humanitatis formam

suscipere solebant. Heu miseram sortem! Dirutum vident nunc pulcherrimum ornatumque eorum templum, lugent in cineres redacta septuaginta illa librorum millia, e quibus magistri tantam copiam eruditionis hauserant. Museum quod tam multa completebatur artium, historiae, physicorum causa collecta *κατάλογοι*, quodque omnibus in urbe antecellere dicebatur, interiit. Tabulae ab eximio magistro Vergós, saeculo XVI, pictae, quas iamdiu nitebantur municipii principes in publicum museum traducere, flammis absumptae sunt.

Qui fieri potest ut qui opificum culturam quaerere se dictent, ditissimos illos litterarum thesauros vastaverint atque deleverint? Nec solum in hoc extirpando Collegio artibus ac scientiae infestos religionis osores sese prodiderunt. Aliae bibliothecae bene multae, quas inter illae eminebant, quas alebant Fratres Maristae et Patres a Sacra Familia nuncupati; quinquaginta fere domus religiosorum virorum ac foeminarum, quarum multae ad pauperum pueros erudiendos, immo et sustentandos, exstructae erant, interierunt.

Venio nunc ad illa aedificia, quae et arte et antiquitate animos eruditorum percellebant. Omitto tam multa tamque praeclara tempa nuper aedificata. In media urbe, templum erat externo quidem aspectu ignobile; intus autem revera non item, sancto Cucufato consecratum. Anno MXXIII, clarissimus sacerdos Gislbertus, Vicecomitis Barcinonensis Udelardi filius, cellam in honorem Sancti Cucufati eo in loco extruxerat, ubi de majorum sententia Christi martyri integrum et flammis incolumis evaserat. Quae, cum anno MCCCLXXXVII instaurata esset, anno denique MDXXVI a nobilissimo Barcinonensi Senatu centumvirali non mediocrem ornatum accepit. Iam nunc cumulus ruinarum est!

Sacellum fuerat, quod prope urbem a Ludovico Pio dicatum ferebatur, dum Barcinonem a Maurorum potestate anno DCCCI liberare conatur. Huius sacelli modicam aedificationem in novam amplioremque, sequenti saeculo, Comes Barcinonensis Sunnerius, hoc nomine primus, in honorem Sancti Petri converterat. Illius pristinae aetatis reliquiae nuper erant turris, arcus quatuorque columnae. Etiam in haec vandalicus furor flamas contorsit.

Similis contigit fortuna sodalitio Cisterciensium sororum, quod, tametsi aedificium incolebat anno MDCLXX exstructum, originem tamen altius repetebat, ex monasterio scilicet ab episcopo Barcinonensi D. Beringario de Palou, anno MCCCLXXXVII condito et novis sedibus donato a Iacobo, Aragoniae et Cataloniae praeclarissimo rege. Sed quis collecta ibi monumenta numeraret? Membranaceos codices, in quibus Sum-

morum Pontificum et regum Hispanorum privilegia descripta erant; titulos foeminarum nobilium atque adeo reginae Aragoniensium Margaritae, quae honores divitiasque contempserant, ut in eo coenobio soli Deo vacarent; libros perantiquos capitalibus litteris magno artificio decoratos, copiosam bibliothecam, brachium et manum Principis de Viana, antiquis Catalaunicis ita cari, ut inter beatos ab iis numeraretur, aliaque multa antiquitatis monumenta impudentissimi homines flammis tradiderunt.

Multa mihi scripsisse videor. Sed, ut cetera silentio praeteream, illud tacere non possum, quod omnes acerbissime tulerunt. Conflagravit etiam Sancti Pauli templum, omnium in urbe antiquissimum arte romana aedificatum interque hispana monumenta a rei publicae moderatoribus computatum. Communitum denique Christi cruci affixi simulacrum quod, nigro velo tectum, Catalaunici quum patrias leges et iura defenderent anno MDXL, prae se gesserunt atque ad bene de omni regione sperandum, quasi signum aliquod sustulerunt. Proh dolor! Iure, merito clamare licet: « Qui divinam suis ex animis imaginem dñe nituntur, etiam humanam rasisse videntur ».

Verulae, mense Octobri MCMIX.

EMMANUEL ZARRÉ, S. I.

Ad Franc. Xav. Reuss

*Quae canis, legi, numeris ligata,
Doce Xaveri: bonitasque cordis
Clarior visa est nitida micare
Luce diei.
Dum tamen menses cumulas et annos,
Pristinum servas animi vigorem:
Nil opus sistis, calamusque semper
Impiger adstat.
Quid tua refert, coma si nivescit?
Sique iam toti cedidere dentes,
Frontem et effeto perarant aniles
Corpo rugae?
Verba commendas pretiosa chartis,
Balsamum fundis redolens loquelae,
Laetus et nervos chelyos sonorae
Pollice pulsas.
Miror ac quidquid stupeo sagaci
Spiritu tractas: decus et figura
Moribus simplex, veneranda, cultum
Excitat intus.*

(1) Cfr. clarissimi laboris nostri socii carmen in sup. num. editum.

*Seu gravi carmen modularis ore,
Seu genus tentas lyricum, superni
Seu chori laudes celebras, laborum
Praemia carpis.
Sic loqui nobis solio videtur
Carminum Virgo redimita sertis
Dulcius, nostros animosque nutu
Alma fovere.
Sicque permagni soboles parentis
Cernitur mitis vigilare ab alto
Sorte pro nostra, superasque portas
Pandere caeli.
Te Deus spectet, tua vota clemens
Caelitus Rector proprius secundet,
Ac dies multos, validamque mentem
Praebeat usque.
Vive, Musarum decus o superbum,
Culteque, insignis pietate praesul,
Vox et aeternae resonet per annos
Blanda salutis.*

MARCUS GALDI.

DE RATIONE STUDIORUM
PONTIFICII INSTITUTI BIBLICI DE URBE

Suo tempore nunciavimus Pium X P. M., quo verae scientiae atque imprimis sacrorum librorum flagrat amore, Institutum biblicum in Urbe munificentissime constituisse, cuius studiorum ratio ea praecepsit esse, quae ad academicos gradus a Pontifica Commissione Biblica conferendos requiretur. Quae nam sint huiusmodi rationis leges peculiares nunc notum est; easque et ipsi nos vulgamus, pro certo habentes gratum acceptumque id sociis ac lectoribus nostris futurum.

Quae igitur ad studiorum distributionem spectant, regulae, sese referentes ad rerum ediscendarum copiam, monent scholas omnes simul statim ab initio assumi aut ab omnibus alumnis simul frequentari non posse; itemque non unam eamdemque viam omnibus alumnis convenire, sed potius singulos, praeter lectiones ad præparationem examinis necessarias, eas ingredi debere, quae ipsis, auditio superiorum consilio, utiliores visae fuerint.

De indole lectionum, eam esse cognovimus, quam in Universitatibus « seminaristicam » vocare consueverunt; qua scilicet potissimum auditores ad activam cooperationem efficaciter excitentur. Quare in singulis argumentis præcipue modum tractandi aliquam quaestionem particularem proponere iuverit, indicatis fontibus, unde materiam solutionis unusquisque proprio ac personali suo labore haurire

possit, tractata etiam aliqua parte singularum quaestione, quo methodus ac via auditoribus practice monstretur et illustretur. Quibus accendent exercitia practica per ipsos alumnos sive oretenus sive scriptis facienda, quibus paullatim assuescant ad viam rectam tenendam et ad gressus firmos in ea faciendo.

Sequitur hisce verbis ratio prefectum iuvandi: Ut magis in concreto appareat, qua ratione Institutum ad omnimum profectum studiorum bibliorum cooperari velit, pauca de laboribus specialibus ab Instituto intentis addere iuvabit. Atque imprimis quidem medium praecipuum et efficacissimum ad iuvandum illum progressum erit ipsa solida ac methodica formatio alumnorum ad finem intentum, ut scilicet studia biblica « postmodum tam privatum quam publice, tum sribentes cum docentes, profiteri valent, et gravitate ac sinceritate doctrinae commendati, sive in munere magistrorum penes catholicas scholas, sive in officio scriptorum pro catholica veritate vindicanda, eorum dignitatem tueri possint » (1). Deinde, ut tam magistri quam alumni iam ad co-operationem formati ad profectum scientiae biblicae maiore cum fructu laborent, unusquisque suam quasi propriam vineae biblicae partem excolendam suscipiet: unde vitatis nimis dissitis ac variis occupacionibus, maiore cum fructu singuli vires suas ad opus commune impendent.

Sed quoniam vis unita fortior exsistat oportet, collatis simul viribus aliquam magnae vineae aream pro communi Instituti opere excolendam suscipere eamque in antecessum designare haud abs se videatur. Sicut enim illi qui v. gr. in Orientis partibus constituti sunt, maiorem aliquam opportunitatem ex. gr. pro investigationibus geographicis et archaeologicis ac similibus in Terra Sancta faciendis habent, ita ipsa Urbis Romae conditum maiorem pro aliis investigationibus facilitatem praebet. Itaque pro area particulari ab Instituto Biblico, unitis magistrorum atque alumnorum amicorumque omnium viribus, excolenda, prae ceteris aptior videtur imprimis bibliographia litterarum universae ad scientiam biblicam pertinentis, non unius vel alterius tantum nationis, sed omnium populorum, qui in toto orbe ad studia biblica incumbunt.

Quae quidem bibliographia biblica, retrospicendo ad saecula anteacta, etiam praeteritarum generationum labores indagabit et sic viam sternet ad historiam exegeseos in singulis aetatibus investigandam et describendam. Atqui quem magna huius historiae pars in codicibus manuscriptis abscondita iaceat, inde etiam thesauros amplissimos textuum et commentariorum desumere licebit.

(1) Litt. apost. « Vineae electa », per quam Pontificium Institutum Bibliicum constituebatur.

Unde iterum ad cognoscendum ipsum textum sacram maiorem in dies lucem mutuari variisque studiis criticis genuinam textus formam investigare sensumque verbi divini penitus in promptu erit.

Neque haec amplissimae areae cultura fructu suo pro usu quotidiano praesertim theologorum et cleri universi carebit. Unitis iterum viribus summam rerum bibliarum ipsis praebere Instituti professores intendunt, in qua ea quae ad scientiam biblicam spectant, modo scientifico breviter exposita inventient.

Regula autem suprema, quae in omnibus studiis et laboribus Instituti servabitur, haec est: ut vitatis libibus otiosis, labore positivo et personali vineae nostrae aream colamus, atque in hoc labore positivo scutum nobis et arma in servitio veritatis acquiramus. Vinea enim electa S. Scripturae tam amplum laboribus campum praestat, ut omnes operarii ex area sua ad communem patremfamilias labore manuum suarum afferre valeant.

Quod felix, bonum faustumque siet!

EX SS. CONGREGATIONIBUS ROMANIS SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione de Religiosis.

Instructiones circa debita et obligationes economicas a religiosis familiis suscipienda:

I. Moderatores, sive generales sive provinciales seu regionales sive locales nulla debita notabilia contrahant, nullaque notabiles obligationes oeconomicas suscipiant, directe vel indirecte, formaliter vel fiducialiter, hypothecarie vel simpliciter, cum onere vel absque onere redditum seu fructuum, per publicum vel privatum instrumentum, oretenus vel alter;

c) absque praevio consensu Consilii generalis seu Definitorii, si agatur de Curia generali, aut de domo vel dominis, immediate iurisdictioni seu directioni Curiae generalis subiectis;

b) absque praevio consensu Consilii seu Definitorii provincialis, et expressa licentia Moderatoris generalis, accidente voto deliberativo Consilii seu Definitorii generalis, si agatur de debitis vel obligationis a Superioribus provincialibus vel regionalibus contrahendis seu suscipiendis;

c) vel absque praevio consensu Consilii localis seu monasterii sive domus, quocumque nomine designetur, sub nullo Superiori provinciali seu regionali positae, et expressa licentia Moderatoris Generalis, eiusque Consilii seu Definitorii generalis. Quod si Ordo in varias congregations seu familiis, proprium Praesidem seu Moderatorum generalem seu quasi generalem habentes, divisus sit, huius Praesidiis seu Moderatoris eiusque Consilii licentia necessaria omnino erit;

d) vel absque praevio consensu Consilii localis, si agatur de monasteriis vel dominis nulli Moderatori generali subiectis, accidente tamen licentia in scriptis Ordinarii loci, si monasterii seu domus huiusmodi ab Ordinarii iurisdictione vere exempta non sint.

II. In debitis vel in obligationibus oeconomicis contrahendis habenda est notabilis quantitas, quae superat 500

libellas, nec attingit 1000, si agatur de monasteriis vel dominibus singulis; quae superat 1000 libellas, nec attingit 5000, si agatur de provinciis vel quasi provinciis; quae superat 5000 libellas, si de Curiis generalibus. Quod si domus, provincia vel Curia generalis debita vel obligations contrahere intendat, quae valorem 10000 libellarum excedant, praeter licentiam respectivi Consilii, ut supra, requiritur beneplacitum apostolicum.

III. Non licet per diversa debita vel per obligationes diversas, quae quomodolibet contracta sint vel contrahantur, summam respectivam in praecedenti articulo expressam superare; sed omnia et singula debita omnesque et singulæ obligationes, quomodolibet contracta, semper coalescent. Ideoque nullae omnino erunt licentiae ad nova debita contrahenda novasque obligationes suscipiendas, si anteacta debita vel obligations nondum existinta sint.

IV. Pariter nulla erunt indulta seu beneplacita apostolica ad contrahenda debita vel ad suscipiendas obligationes valorem 10000 libellarum excedentia, si domus, provincia, vel Curia generalis oratrix in precibus reticet alia debita vel alias obligationes, quibus forsitan adhuc gravatur.

V. Si qua autem congregatio et institutum votorum simplicium aliaeque religiosae Familiae Consilia generalia, provincialis et localia non habeant, illa intra tres menses constituant ad hunc finem vigilandæ administrationis oeconomicae. Monasteria autem seu domus, quea sint sui iuris, nec Consilium libera capitulo localis electione constitutum habeant, illud pariter intra tres menses sibi eligant. Consiliarii autem per triennium in officio permaneant, et sint quatuor in monasteriis vel dominibus, quae saltem duodecim electores habent, et duo ad minus in aliis.

VI. Suffragia, de quibus agitur in articulo I, toties quoties exquirantur, et semper secreta atque deliberativa sint, non mere consultiva; licentiae autem, virtute suffragiorum concessae, nunquam oretenus, sed in scriptis dentur. Acta vero Consilii subscrivantur tum a Moderatore tum a singulis consiliariis.

VII. Graviter oneratur Moderatorum conscientia, ne per se vel oeconomum, vel alter, consiliarii occultent, ex toto vel ex parte, bona quaecumque, reditus, pecunias, titulos, donationes, eleemosynas et alia valorem aliquem oeconomum habentia, etiamsi data sint Moderatori intuitu personae; neque de debitis vel obligationibus quomodolibet contractis taceant; sed omnia plene, exacte, fideliter revisioni, examini et adprobationi Consilii committantur; omnia etiam documenta, bona temporalia vel oeconomiam respiciantia, pariter consiliarii examinanda tradantur.

VIII. Nulla fundatio monasterii vel domus, nullaque fundationis amplificatio vel mutatio fiat, si pecunia solvenda non habeatur, et hac de causa debita vel obligationes oeconomiae contrahenda sint, etiamsi fundus vel materia ad aedificandum, vel aliqua pars aedificii gratuito donetur, vel construatur; nec sufficit promissio pecuniae etiam in magna quantitate ab uno vel pluribus benefactoribus tribuendae, quia eiusmodi promissiones saepe non adimplentur, cum periculo gravis documenti materialis et moralis Religiosorum.

IX. Ut pecuniae, reditus aliisque proventus legitime collocentur in aliquo tuto, licto ac fructifero investimento, et ut potius in uno quam in alio investimento ponantur, requiritur votum Consilii, toties quoties exquirendum, exhibitis praefato Consilio omnibus notitiis circa formam, modum et alias investimenti circumstantias. Quod item valet pro qualibet investimenti mutatione, servatis aliis de iure servandis.

X. Quae de triplici clavi capsam claudente deque ipsius capsae visitatione, necnon de recta administratione rerum

temporalium praescribuntur in constitutionibus singularium Familiarum religiosarum, si severiori ratione, quam in singulari articulis praesentis Instructionis ordinantur, accurate serventur in iis, que ipsi Instructioni contraria non sint. Et ubi administratio temporalis per propria statuta ordinata uon fuerit, omnia quamprimum ordinantur, p[ro]ae oculis habitis quae in Normis, cap. VI, dicuntur, quaeque non solum sorores, sed et viros religiosos respiciunt, ut habetur in nota in fine pag. 3 earumdem Normarum posita, salvis semper prescriptionibus huius Instructionis.

XI. Fundus, legata et alia quaecumque bona, quae quomodolibet Missas adnexas habent, eorumque fructus vel redditus nullo pacto debitis vel obligationibus economicis cuiuscumque conditionis sint, ne quidem ad breve tempus, gravari possunt; et pecuniae pro Missis manualibus vel aliis celebrandis acceptae, ante ipsarum celebrationem, nullo pacto nullaque de causa, neque ex toto neque ex parte expendi possunt, sed integre servari debent. Quia in re speciali vigilantia procedant tum Moderatores tum consiliarii.

XII. Quae de dotibus monialium et sororum non alienandis ab Apostolica Sede iamdudum statuta sunt, erunt apprime servanda. Nullo igitur pacto neque cuiusvis utilitatis intuitu fas erit capitalia huiusmodi dotum consumare, quoque respectivae moniales vel sorores vivant; sub poenis a iure determinatis. Et Apostolicae Sedis venia erit expetenda, si ob gravissimas circumstantias perutilis iudicetur etiam unius tantum dotis alienatio.

XIII. Donationes, etiam titulo eleemosyna vel subsidi, non fiant, nisi iuxta conditiones a Sancta Sede prescriptas, et iuxta mensuram in singulis constitutionibus ordinatam, vel a capitulis, et in eorum defectu, a Superioribus generalibus cum respectivis Consiliis legitime determinatam.

XIV. Omnia quae in hac instructione praescribuntur, non solum Ordines, Congregations et instituta virorum, sed etiam monialium et sororum respiciunt. Violatores autem earumdem prescriptionum graviter puniantur, et si violatio sit de iis, quae de iure communis vel iuxta praesentem Instructionem apostolicum beneplacitum requirunt, poenis ipso facto subiaceant, alienatoribus bonorum ecclesiasticorum inflictis. (Ex decr. d. xxx mens. Iulii MCMIX).

DIARIUM VATICANUM

(Die xxii mens. Octobr. - d. xx mens. Novembr. MDCCCXIX)

Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque munieris gratia Pontificem de more adivere, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Otho de Ritter de Grunstein dynasta, novus Bavarii regni minister cum omni potestate apud Apostolicam Sedem; De Schilling dynasta a secretis Russorum legationis apud Apostolicam Sedem Lutetiam Parisiorum ab Urbe translatus; Augustus Zucconi librariae officinae Desclée et Soc. Romae praepositus cum suis accessis; Dionysius Schüller, minister generalis Ord. Fr. M. unionis Leonianae; Bruno Chaves, Brasiliensis civitatis minister cum omni potestate apud Apostolicam Sedem; Errazuris Urmeneta doctor, eodem munere fungens pro Chilensi republica; Aemilius de Ojeda y Peripan, Hispanorum legatus apud Apostolicam Sedem; Villa Urrutia doctor, Hispanorum legatus Londini; De Leiningen, Comes; Robertus Zileri Dal Verme, Comes; Hiacynthus M. Cormier, Magister Generalis Ord. Praedicatorum;

Collegium «internationale» Angelicum; D'Erp dynasta, legatus extraordinarius atque administer cum omni potestate Belgarum apud Apostolicam Sedem; Von Muehlberg doctor, administer cum omni potestate Borussorum apud Apostolicam Sedem; Gomez Ocerin doctor, pontificiae Hispanorum legationi olim addictus; Iosephus Lohninger, antistes Urbanus, Hospitii Teutonici de Urbe rector, cum suis capellani; Berchtold Comes, Austrorum imperii legatus ad Russos, eiusque uxor; catholicorum iuvenum millia duo ex Latio; Arcadum academiae consilium supremum; peregrinorum manus ex Insubria et Gallia.

Pontificiae electiones.

Franciscus Baldassarri, episcopus Imolen., inter episcopos Pontificio solo adstantes refertur.

Varia.

Die xvi mens. Novembri Pius PP. X, qua est humiliatae animi, expletum feliciter XXV Episcopatus annum in intima familiaritate celebrat.

Patri Sanctissimo ut Petri annos in summo Christianae totius Ecclesiae munere etiam attingat, Vox URBIS ex animo ominatur.

ANNALES

Graecorum classiariorum rebellio.

Quum undique ex omni Europa Zorbas, tribuni militum, eiusque sociorum motus ad suam in publica re apud Graecos gerenda voluntatem per vim imponebam, vox una acriter improbat, illi omnes non minus enixe verbis restiterunt, nunquam fieri posse, ut alii ad alia pertentanda iisdem rationibus ute- rentur. Eventus contra, eorum protestationes men- dacio tempestive coarguerunt. Typaldos enim clas- siarius, qui Graecorum classis reformatorem sese futurum somniaverat, obducta nocte cum trecentis mi- litibus sibi subiectis igniferasque naviculas adhibens, quarum imperium ad patriae salutem tenebat, na- valia ex improviso occupat. Non tamen diuturno tem- pore; nam qui classis universae summo gubernio praepositi sunt, vim vi repellunt, proditoremque ad fu- gam versum in itinere consequuti, brevi in suam po- testatem redigunt. Pugna haec navalis tot post sae- cula apud Salaminam facta, quo alius Graecorum dux populisci in iuste domo expulsus, nobilissimo animi motu iniuriarum oblitus, ad patriae libertatem vindicandam quondam convolavit, quamquam nullam in civili Graeciae statu efficaciam habuit, non favo- rables certe in Graecorum mores (*quantum mutatos ab illis...*) excitat animadversiones.

Ibericae res.

Ad illam potius Latinam gentem oculos conver- tamus, quae in Mauritania ut barbarorum pervicaciam ad nihilum redigat acerrime decertat. Hispanos dico,

qui quum nullo successu hinc rebelles inde Mulay Hafid regis legati de pace agitassent, a bello desi- stere nequierunt.

Domi interim sedatis rebus Emmanuel summo cum gaudio viderunt, Lusitanorum regem, antequam in Angliam procederet, Alfonsum regem suum con- venientem. Adolescens, tanto munere apud Lusitanos in luctu gravatus, nunc magnis honoribus in Anglia afficitur. Fama immo vagatur, ipsum Anglicae cuidam principi foeminae ex regio semine fidem sponsae da- turum. Hoc si futurum fuerit, Anglo item ac Lu- sitano populo ut bene vertat faxit Deus.

PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS

In **Anglia** crescit in dies inter populi legatos et procerum coetum dissensio, cui acceptorum et expensa- rum rationum disceptatio novam occasionem praebuit.

In **Belgica** legum militarium rogationes agitantur.

In **Bulgaria** popularis coetus resumptae sessiones regali oratione firmam gubernii mentem declarante de pace cum Turcarum et Serborum populo arcta ser- vanda.

In **Dania** novo administratorum collegio Zahle doctor praepositus, quem comitia proxime indicturu affirmant.

In **Gallia** lex de suffragii iure innovando ad aliud tempus dilata.

In **Italia** rogatio legis proposita de tributis re- formandis.

In **Norvegia** factioni quam «conservatorum» di- cunt comitia faverunt.

In **Russia**, coetus praeside Komiakoff iterum electo, lata lex est de conditionali poena etiam pro politiciis criminibus constituta.

In **Serbia** Pasic gubernio est praefectus, qui sese summam operam collaturum ad internas civitatis opes augendas publice declaravit.

In **Turcarum** imperio rationes acceptorum et ex- pensarum non satis convenire animadversum est, ideo- que parcere sumptui oportere.

PER ORBEM

Die xxii mens. Octobr. MDCCCLIX Racconigi, ad Subalpinorum oppidum, Nicolaus, Russorum Caesar, Italorum regem convenit.

— d. xxiv Arci, in eius patria, monumentum Iohanni Segantini dicatur, clarissimo illi viro, cui Alpium pictori cognomen fuit.



— d. xxvi Karbin in urbe Ito princeps, apud omnes populos bellica virtute notus, Iaponici imperii apud Coreanos cum omni potestate legatus, nefarie a fanatico Coreani cuiusdam furore interimitur.

— d. xxvii Italorum philosophorum conventus III Romae habetur.

— d. xxviii Genuae improvisus turbo ingentia damna procurat.

— d. xxxi in ferreis axibus strata via inter Gal- lorum oppida Villefranche et Bourg-Madame, currum series electrica vi actorum invicem offenduntur mortemque viatoribus decem afferunt.

Die i mensis Novembri Romae Vaticanae basili- cae thesaurus ad rem dispositus publico visui aperitur.

Berolini Theodoro Mommsen historico monu- mentum inauguratur.

— d. iii Mediolani opifices ad gasium conficien- dum ex condicto ab opere recedunt omnes.

— d. v atra procella magnam Panormi urbis par- tem inundat.

— d. vii Venetiis viii bonarum artium ex omni- bus populis exhibito clauditur.

— d. viii Madriti theatrum, cui Zarzuela nomen, omnium maxime a populo celebratum, incendio absu- mitur.

DESCLÉE ET SOCI - EDITORES PONTIFICII

ROMAE

Piazza Grazioli, palazzo Doria

TANQUEREY

THEOLOGIA DOGMATICA

Vol. I. — **Synopsis theologiae dogmaticae fun-
damentalis:** De vera religione, de ecclesia Christi,
de fontibus theologicis ven. lib. 4,50

Vol. II. — **Synopsis theologiae dogmaticae spe-
cialis:** 1. De fide, de Deo uno et trino, de Deo
creante et elevante, de Verbo incarnato ven. lib. 4,50

Vol. III. — **Synopsis theologiae dogmaticae
specialis:** 2. De Deo sanctificante et remunera-
tore, seu de Gratia, de Sacramentis et de Novis-
tore, ven. lib. 4,50

— d. x in Columbia britannica ad Vancouver currus electrica virtute acti contrariis itineribus pro-
cedentes inter securi occurserunt, quassantur, viatori-
busque quindecim interitum apportant.

— d. xm Spring Valley in urbe dicitur horribile
incendium in fodinis exortum quingentos prope cuni-
cularios exusisse.

— d. xv Stokolma ex urbe nunciant Nobelianum
praemium pro physices disciplina hoc anno inter
Guilelmum Marconium, Italum, et Carolum Ferdi-
nandum Braun, Germanicum, ob inventa de telegrapho
filis experie, iri divisum.

— d. xv Mediolani aviationis machinae ex om-
nibus gentibus adductae publice proponuntur.

Praerupti aquae montes Turcarum in Asia urbes
Adanam et Trapezuntum inundant.

— d. xi Franciscus Thomé, musicae artis magis-
ter valde celebratus, Lutetiae Parisiorum moritur.

Lutetiae pariter Parisiorum in athenaeo magnis
honoribus cumulatur Shackleton doctor, australis
regionis ad polum explorator.

— d. xix ob LXXV annum a Bruxellensi libero
athenaeo condito solemnia in illa urbe habentur.

— d. xx inter Italiam et Bataviam generale foe-
dus de arbitratu Romae constituitur.

TANQUEREY

THEOLOGIA MORALIS

(Editio A)

Vol. I. — **De poenitentia et de matrimonio** (pars
dogmatica simul et moralis), de Ordine ven. lib. 4,50

Vol. II. — **De ultimo fine, actibus humanis, le-
gitibus, conscientia, peccatis, virtutibus, decalogo
et ecclesiae praeceptis** ven. lib. 4,50

Vol. III. — **De virtute iustitiae et variis statuum
obligationibus** ven. lib. 4,50

(Editio B)

Vol. I. — **Moralis fundamentalis, de virtutibus
et praeceptis** (de ultimo fine, actibus humanis, le-
gitibus conscientiae, peccatis, decalogo et ecclesiae
praeceptis) ven. lib. 4,50

Vol. II. — **De virtute iustitiae** (ubi etiam de
contractibus et de re sociali), de variis statuum obli-
gationibus ven. lib. 4,50

Vol. III. — **De sacramentis in genere et in specie**
(pars moralis tantum) ven. lib. 4,50

AENIGMATA

I.

Cum furiunt imbræ prior horret et anxius haeret.
Scinditur at nubes, refracta en lumina solis,
Nunc alter rutilat, nunc eu ridere priorem.
Totus rex vixit; moriens est bestia factus;
Nomine mutato, divinos sumpsit honores.

II.

Syllaba prima iuvat largos, deterret avaros;
Altera bestiola est, in toto saepe latescens.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Commentarii moderatorem miserint intra menses duos, unus, sortitus gratis accipiet I. B. FRANCESIA opus, cui titulus:

TARCIUS

ACTIO DRAMATICA VERSIBUS SENARIIS CONSCRIPTA.

Aenigmata an. XII, n. IX proposita his respondent:

1) Mater, ater, ter, er; 2) Robur-Rubor.

Ea rite soluta miserunt:

Petrus Tergestinus — Guil. Schenz, *Ratisbona*. — Rich. Brondel, *Brugis*. — I. Rokoszny, *Sandomiria*. — Arn. Rudzianski, *Thephelissio*. — Alf. Martinez, *Budaiocio*. — Call. Amalberti, *Abio Intemelio*. — Lucius Rhaetus, *Bucarestio*. — Alexius Fasztusz, *Szatmár in Hungaria*. — Ad. Kozlowski, *Petricovia*. — Herm. Gini, *Aquis Taurinis*. — Alois. Cappelli, *Senis*. — I. M. Menner, *Corbiniano*. — Lud. Goux, *Bituricis*. — Max. Wronski, *Nova Wies Narodowa*. — Vine. Starace, *Neapoli*. — Clem. Henze, *Vaals*. — Ios. Rainelli, *Arona*. — Clem. Fiard, *Curia Rhaetorum*. — Mart. Dunne, *Neo Phoraco*. — Iac. Fernandez, *Mexico*. — Alb. Perraud, *Lutetia Parisiorum*. — F. Correa, *Emerita*. — Iac. Costa, *Dumio*. — Rich. Müller, *Berolino*. — Lud. Dubois, *Massilia*.

Sortitus est praemium:

CALLISTUS AMALBERTI,

ad quem missum est IANUARII ASPRENATIS Rocco carmen ob sollemnum translationem corporis Pontii Meropii Anicii Paulini ab urbe Roma in Nolanam basilicam Id. Mai. MDCCCVIII.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE — Ex officina Pacis, E. Cuggiani.

[11] AEGYPTII - CAROLI M. ROSINII Comoedia

Recognovit I. F.

Quid obmutescis? Ble. Quo pacto respondeat, Si linguae tecum non habet commercia?
Iphi. Quam bonus es vir! nunc advocabo interpretem, Chremes, veni nunc intro. Char. Eheu me perditum!
Adest pater (1). San. Quo me recipiam, miser?
Cur. Dii, Deaeque omnes te perdant, Sannio, Qui in hasce aerumnas me invitum conieceris.
Iphi. Ecum (2), Chremes, tuum, quem quaeris, filium: Aegyptius repente factus est; vide an
Te noscitet. Chr. Nescis, Charine, qui siem?
Ecur (3) tantum iter emensus sim, consideras?
Miseram vitam insanis permittens fluitibus?
Tu faciem obnubis? adspectum nec sustines
Meum? Odiosus adeo sum tibi, miser,
Ut oculos refugias meos? Si id est, veni huc,
Confice patrem; securus posthac vivito.
Char. Pater, pater mi (4), peccavi, sed aspere
Nimis castigas me: mei sceleris pudor
Ab oculis deterreret tuis; tuus sum ego.
Quascumque de me poenas sumito, dabo
Libenter tibi. Chr. Demum cognoscō filium.
Erige iam te; ad paternos amplexus redi (5).
Char. Eheu, pater mi. non auscultas. . . . deficit
Anima. . . . totus friget. . . . invate, accurrite.
Ant. Chremes? Iphi. Chremes? Non respondet. Ant. Prae
[gaudio est
Interclusus spiritus. Ble. Affer aquam, Stratilax.
Stra. Vinum potius putarem. Ble. Aquam, stultissime.
Cle. Hui! (6) hui! hui! tata mi. Ble. Quid ploras, gnate mi?
Cle. Senex mortuus est. Ble. Haud, sed dormit; ne pave.
Char. Heu! (7) heu! pater mi, quem ego confeci perfidus!
Pater, pater!.. Chr. Quis me. . . An. Nunc expurgiscitur.
Te volt filius. Chr. Ubi est? Char. Ecum me, sum tuus.
Chr. Fili mi dulcissime, measne es? (8) Char. Ad ultimum
Spiritum ego tuus ero; omnes testor Deos.
Chr. Parumper adhuc, fili mi, me sustine,
Donec morienti oculos claudas; nil amplius
Peto. Chr. Superos rogo, ut Nestoris annos teras.

Ble. Lacrumas cohibere non queo. Ant. Sed haec hactenus, Chremes, aliena in domo; nunc reddē Iphicrati Grates, atque abeamus. Chr. Probe nos admones, Iphicrates; te Di, Deaeque omnes iuvent, Qui tam bene de me es meritus; nunc unum rogo, Hos ne gravere Philippeos, et annulum Mei mnemosinon adcepere. Iphi. Chremes, opprimis Me liberalitate tua. Chr. Id meritum est tuum (1). Iphi. Faciam, ut iubes. Abite ergo cum filio: Mei erit pensi seductores in vincula Coniicere. Chr. Quos? Iphi. Hosce parasitos pessimos Curcilionem, et Sannionem. Chr. Ubi Sannio?
Iphi. Sub mensa se recepit, quasi non viderim. Veni foras nunc, bone vir. Ble. Ah! tu istic eras?
Mirabar, quomodo disparuit. Stra. Veni huc (2), Sciolocinthopsis. San. Te, Chremes, oro per Deos, Ignosce. . . . Chr. Ne pave; liber quo cupis, abi. Omnes peccavimus: ego asperitate nimia, Intollerantis hic puer, at tu vitio gulæ,
Et assentatione; sed hodie omnibus Parcendum. Iphi. Curcilion etiam pepercérис?
Chr. Nam quid fecit? Cur. Dicam ego. Cum tuus hic filius In externo hoc solo periret iam fame, Meam imploravit opem, Sannio, ut adcurrerem. Ego contra, cum nil esset in peculio, Et esurirem aequæ, hanc inveni astutiam, Ut ex Blepharone lautam coenam carperem.
Ipsum do testem gnatum. Char. Vera praedicat, Pater. Chr. Si id est, nil in me peccavit quidem; In Blepharonem potius, quem ludificatus est. Ble. Belle autam; poenas ergo dabis, nebulō, Mihi. Chr. Sed hanc noxam remitte mihi, precor, Blepharo. Quanti interest, ego solvam protinus. Et ni renuis, quod hospitium cum filio, Mentito sub nomine, nuper coniunxeras, Firmabis mecum. Ble. Non renuo, cupio magis. Chr. Parce igitur. San. Parce. Char. Parce. Stra. Parce. [Ant. Parcito.
Ble. Parcam lubenter tanti in gratiam hospitis; Et quoniā coena iam instructa est, accumbite. Valete, spectatores, et plausum date.

(1) Interim Sannio se abscondit sub mensa.
(2) Irridens vocat.

FINIS.

PROSPECTUS SUBNOTATIONIS

COMMENTARII VOX URBIS IN AN. MDCCCCIX

Pretium annuae subnotationis est in Italia Libell. 6

ubique extra Italiam Libell. 9

(Doll. 1,80; Sh. 7; Mark. 7; Rubl. 4; Coron. 9)

recto tramite mittendum

ad ARISTIDEM LEONORI Equitem

Commentarii "Vox Urbis," possessorem et administratorem

ROMAM, Piazza del Gesù, 48

Praemia sociis constituta:

Ex subnotatoribus quisque

numisma, iubente Centrali Consilio ad
Pii X P. M. Jubilaeum Sacerdotale cele-
brandum expresse cusum et extra commercium habitum, dono accipiet.

Novi subnotatores singuli

praeterea Vox Urbis kalendario fruentur,
quod socii, qui iam superioribus annis ha-
buerunt, obtinere simul poterunt, dummodo subnotationis pretio lib. 0,25 ad diritorii expensas
resarcendas addiderint.

Qui socium novum acquisiverit unum,

eiusque subnotationis
serit, gratis accipiet Caesaris Tiratelli tabulam metr. 0,60 × 0,40 a celeberrimo Urbano S. Mi-
chaelis hospitio splendide caelatam, baptismalem pompam in Campania referentem. — Ab hoc
tamen et sequentibus praemiis bibliopolae excipiuntur.

Qui socios novos acquisiverit duos

ut supra, horologium sibi
habebit in Germanicis of-
ficiinis ad Roskopff rationem nobis fabricatum.

Qui socios novos acquisiverit tres

eorumque subnotationis pre-
tium miserit, a pretio suo
solvendo eximetur.

Qui socios novos viginti quinque coegerit

ante Iulium
mensem, di-
midiatum pretium itineris habebit ab Italiae finibus Romam usque, atque inde in dissectionis
Italicam stationem, secunda, prouti vocant, ferriveharum classi usus.

Qui socios novos coegerit quinquaginta,

uti supra, eodem
itinere gratis om-
nino gaudebit.

Franciscus Ciapponi et Soc.

OFFICINA

ANAGLYPTIS, GEMMIS CONCHISQUE

CAELANDIS

PRAESERTIM IN REDDENDIS FIGURIS

PHOTOGRAPHICE EXPRESSIS

Diligentia in opere.

Temperantia in pretio.

ROMAE, Via Sistina, 129

Divisorium magnum, cui a Minerva nomen (Grand Hôtel)

ROMAE, Piazza della Minerva

Divisorium inter optima Romae, in Urbis centro, recens omnino instauratum et commodis omnibus instructum.

Sacellum pro Sacerdotibus ad sacra litanda

LEOPULDUS SCOTTI, moderator.

SUPELLEX
AD RES DIVINAS

Commentarii Vox Urbis administratio recto tramite suppeditat suppellectilem omnem, qua tum in templis, tum in oratoriis ad res divinas uti solemus.

Mandata ad Vociis Urbis administratorem (Romam, Piazza del Gesù, 48) mittantur, res praecise indicando quas quisque sibi cupit.

Gratuito sumptuum aestimatio fiet.



Gulielmus Gaudenzi

ROMAE

Tor Sanguigna, 2-3 - Via Coronari, 1

cuique suppeditat coronas, numismata, Christi crucifixi effigies, Sanctorum imagines tum insculptas tum omnibus modis impressas, metallis caelata opera ad sacra vel ad reliquias reponendas, pietatis libros, omniaque in Puellarum Mariae usum; pulchrarum artium specimina, musiva, caelatas sculptas gemmas et similia; quorum maximum apparatus possidet.

Gallice atque Hispanice loquitur.

Apud Comm. VOX URBIS administratorem (Romae, piazza del Gesù, 48) quae sequuntur opera venumdantur, per Commentarii ipsius paginas iam vulgata:

PETRI ANGELINI Lollius sive *De provecta latinitate.* — Ven. lib. 1,50.

Fabulae selectae Ioannis La Fontaine latine conversae a FRANCISCO XAVERIO REUSS, C. SS. R. — Ven. lib. 1,25.

Saturio. Comoedia latinis versibus conscripta a IOANNE BAPTISTA FRANCESIA. (In ludis litterarum optima tironibus scenice agendi exercitatio). — Ven. lib. 1.

149904